

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostratum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

30. Titvli

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

tum fuerit, non habituros vos famelicos, sitientes, nudos, egrotos, sed caupones, pictores, artificesque alios benignitatis vestrae testes numerosissimos.

## 30. T I T V L I.

**A.** Deus te salvet frater, *B.* Salyus fortunatusque sis ornatissime & doctissime, simulque humanissime & literatissime Domine Magister. *A.* Quid sibi vult tantus titulorum strepitus? *B.* Quia sic doctissimae humanitatis vestrae eruditio promeretur. *A.* Aesopi me socium facis, qui cum omnia sciam, nihil sinam alijs reliqui. *B.* Ridet ornataissima humanitas vestra, ego quid de tanta ingenij excellentia sentiendum sit, fat scio. *A.* At saltem, si benignus in me maximè sis, titulis non obrues. *B.* Nihil hinc dici potest nimium. *A.* Quanto expeditius colloquemur, si me amicum, aut socium, aut fratrem appellites, quàm tot vocabulorum ambagibus? *B.* Decet nos titulis distinctos esse, & singulos gradus habere condecencia cognomina. *A.* Non dicam quam in Christo & Apostolis tale quid nusquamprehendere liceat, id enim suspectum vobis est, sed & purior antiquitas hanc barbariem abhorruit. *B.* Barbariem vero? *A.* Spectabilitatem, reverentiam, claritudinem, dignationem, magnificentiam, cum compositis & decompositis, quae nunc torrentis instar nos obruant. *B.* Haec vero in Scholis frequentissima sunt, literarum sedibus. *A.* Sinamus illis id privilegij, ut cum vocabulorum possessores sint, ac Domini, suo ijs arbitrio

bitrio utantur; nos vero ecquid molestum dicendi genus ac ridiculum sequamur? *B.* Venerabilis Domine Magister. *A.* Quin reformidande, aut formidabilis. *B.* Obsecro venerabilitatem tuam, ne me rusticum tantopere credas, qui nesciam quam titulorum decus excusetis quidem, sed? *A.* Quid suspicaris? scito, reuera eruditos esse quam plurimos, quibus titulorum sonitu, veluti ineptiarum nolis, nihil videtur dissonantius. *B.* Mihi sane molestum non est, dare quod quisque vult honoris nomen, siue visibilis velit esse, siue spectabilis, siue venerabilis, siue reformidandus, siue reverendus, siue magniloquus, siue magnificus, siue prædominans, siue excellens dici velit, nam domi nascuntur mihi verba, non empta sunt. *A.* O lepidum caput, nunc video quo loco illa blanda verba habeas, nempe ut nos falsè rideas. *B.* Necessè est; nam nulla re à vobis facilius impetramus quod volumus, quàm speciosissimis titulis. *A.* Sapitis: qui vento enim pasci volunt, indigni sunt alimento alio. *B.* Gratulor ergo tibi, mi frater, cum quo nobis licet ingenuè agere, dum illi veluti indomita pecora demulcendi sunt. *A.* Id mihi præ reliquis iucundum est, vos nulla nostri admiratione sine titulis liberales esse, sed quod animadvertitis hanc placere Midæ cantiunculam. *B.* Obsecro te, ne me prodas, nam ut primum animaduertent me non toto pectore titulos fundere, posthac habiturus sum omnes inclementissimos.